

te ad articulum certificandum, vel factum deductum in articulo iustificandum, & sic extra articulum non dicitur deponere, si interrogetur de causa facti, quando factum non est verisimile, licet facti causa non sit in articulo expressa, per quod limitatur & declaratur c. de testib. inf. de testi. & quod solet notari in l. momentanea. C. qui legi. per so. & in l. si duo patroni. S. qui iurasse. ff. de iureiur. Sed ut ostendam aliud notabile ex hoc intellectu, videtur hic intellectus, quod testis ardeatur ad dicendum causam facti a se relati, & prout ab alio gestum est, quod non est verum, quia hoc est contra tex. inf. de re iud. c. sicut, ubi testis probans scientiam non ardeatur ad dicendum causam scientiam. dic quod id est verum, quando contra factum non presumitur, sed pro eo etiam non subsistente causa, hic quando contra factum super quo testificatur, presumitur, si ex causa non iustificetur. nam tunc subtilis debet esse iudex in indagando causas facti, quando illud super quo deponit testis, non est verisimile, & est suspectum, & hoc propter duo. primo propter certificare probationem. secundo ut comprehendat testem in falso vel vero. debet. n. cuncta rimari. xxx. q. v. c. iudicantem. ff. de testi. l. 3. Dic ergo duo verba, si queritur an testis ardeat ad eam exprimendam, dic aut non interrogatur, & non ardeatur ad aliquam causam, & sufficit quod rider dicat dictum, quia non debet esse verborum, ad hoc quod no. ii. q. i. ca. in primis. & de re iud. c. sicut. de testi. c. cum causam, licet ibi Inno. contradicat, & male, hic communiter dicunt Doct. & damnat dictum Inno. in c. causam. il. de testi. in glo. mag. ubi dicit quod causa aliquando debet assignari, sed die quod ibi notat. limitat omnia praedicta, quando id de quo deponit absque subiunctione causae, est capefibile solo iudicio rationis, & non sensu corporeo, oportet quod assignet causam etiam non interrogatus, per quam, scientiam coeludat dictum, & illud apprehendat sensu corporeo & palpabili. ideo si articulus sit quod talis est dominus, non probat testis, si interrogatus, debet ne talis dominus respondeat quod sic, quia non hoc quod sit dominus, ut incorporale, non est sensu capefibile nisi iudicio rationis. debet ergo dicere, scio quod est dominus, quia vidi ex tali materia eum rem specificare, vel praesens sui quando emit, & tanto tempore possedit cum titulo & bona fide. Si dicat testis, scio quod talis est ebriolus, hoc non est capefibile. immediate, nisi ex discursu iudicis, ideo oportet aliam causam intrinsecam allegare, per quam illud apprehendatur aliquo sensu corporeo. Idem dicit de accus. c. cum oporteat. si testis dicat, scio quod est infamatus apud bonos & graues, quia iudicare quem bonum, & grauem est in iudicio rationis discursu, quod non est officium testis, sed iudicis. Oportet etiam si non interrogatur quod illos exprimat, ut iudex de illis iudicet, & non testis. Quandoque interrogatur de causa, & tunc aut de causa scientiae, & compellitur illam exprimere, ut in d. c. causam. aut interrogatur de causa facti, & tunc aut factum prout qualitate deducitur non concluditur absque alia causa extrinseca, & oportet quod causam dicat, ut si deducatur quod sponte renunciavit hoc, quod sponte renunciavit non concluditur, nisi aliqua causa allegetur per quam fuerit inductus ad sponte renunciandum, & est casus hic. Quandoque deducit factum simpliciter, & tunc aut contra factum presumitur, vel est suspectum sine causa, & tunc potest & debet iudex de causis & circumstantiis interrogare, & habet testis respondere, ut hic. Si autem factum non est suspectum, nec contra illud presumitur, sufficit quod reddat eam scientiam, licet non reddat causam facti a relati, ut de re iud. c. sicut. & haec sunt utilia & bona verba. Hinc obuiat secundo, quia videtur testem non debere interrogari super pura negativa, quod non vi vel metu & c. dicit Io. An. quod articulus in practica non formabitur negative, i. quod non vi vel metu & c. sed articulus formabitur affirmative simpliciter super affirmatiua. Item quod sponte renunciavit, & interrogabunt testes super ea renunciacionis, quare hoc fecerunt. & dicit Io. An. quod si interrogati, an vi vel metu fecerint, respondeant quod non, quod probant. Aduerte hoc, quod alias dixi mihi non placere quasi esset praesumptio contra dictum testis, sed dic quod hoc verum quod dicit Io. An. quod ex quo aliter non interrogatur de causa, dictum testis probat quod asserit, & praesumptio tollitur praesumptio repugnans, quod praesumptio succubibit, probationi, Puto plus, quod si testes interrogati an sponte renunciauerint, si respondeant quod sic, quod probant, quia licet sit praesumptio, tollitur per probationem & creditur testem habuisse tale causam, ex qua quod asserit sciuerit, ex quo aliter non inter-

rogatur. Non puto tamen quod sufficiat eos iterrogari quomodo sciunt, si dicant quod nesciunt se confitos alicuius causae, propter quam ipsi potuerunt compelli quod potuerit ille non sponte renunciare, quia licet nesciuerint, potuit aliqua scuisse, unde ex toto non excluditur praesumptio, quia clara non est probatio testium sic negative deponentium, ut no. glo. sup. de ele. c. bonae. il. i. & c. cum dilectus. Sed dices, quod sunt causae efficientes tam exprimendae per testes, quam etiam per excipientem suis casibus, respondeo oportet quod sint tales, ex quibus tollatur praesumptio iactationis, ita quod concludatur verisimilis renunciatio. Dic quod causa erit legitima si dicat testis, audiui quod in loco non stabat bene sanus, & multoties hoc dixit, vel si dixit, quod non habebat plura beneficia, & illa non tenebat cum bona conscientia, vel si aliqua allegetur circumstantia, ex qua non praesumatur uis, ut quod dicit sponte renunciavit in mei praesentia, & coram praetore in vrbe plena. ff. q. me. cau. l. non est uerisimile. Hic intellectus saluatur, sed aliquantulum cauillat litteram, quia oportet quod tex. destruat, ibi sine causa a teste interrogatione. Item, ibi, Admittenda, non notat principium admissiois ad discussionem non sonat, sed admissio ad finem & effectum decisionis, quod non est de mente litterae, & hoc est de isto intellectu. Venio ad tertium intellectum, qui est, quod tota haec decessio formet unam questionem, & illi respondet, l. utrum concurrente exceptione spontanea renunciacionis & replicatione de non spontanea admittantur testes an actoris, an rei. & hic respondetur quod aut reus excipit, & actor non replicat, & admittitur soli testes rei, si tamen probat ita, quod praesumptio non spontanea renunciacionis conuincatur, & tunc admittendi sunt cum effectu, i. quia pro reo pronuntiandum, nisi actor replicet. Si autem actor replicet de non spontanea, procedit, & testes amborum recipiantur, & statur numero & dignitati, ut dicit littera in fi. & tollit littera obiectum quod fieri posset super admittendis testibus ipsius actoris. Huic obuiat quod non videtur necessaria replicatio, si agebatur quod me. cau. q. a eo quod agebat, deducebat non spontaneam voluntatem. dic quod agebat ut in rem, ut videbitur. inf. vel si agebat, quod me. cau. deducebat defectum voluntatis secundum tempus perditam possessionis, non in tempus renunciacionis. Quartus est intellectus Inno. secundum quem dicitur. haec dicit quod exceptio spontanea renunciacionis, ut non verisimilis non admittitur absque causae assignatione, per quod praesumptio contra eam excludatur, & ea expressa admittitur, nisi de non spontanea per actorem replicetur. quo casu testes admittuntur actoris reiectis testibus rei excipientis. h. d. secundum istum intellectum, quaesitum erat duplex. primo an formalis dicitur spontanea renunciacionis exceptio absque causae expressione, ita quod sit admittenda. secundo an dato quod sit formalis, vel non, si facta est formalis ex causae expressione, an debeant testes actoris admitti super replicatione, an rei super exceptione. Ad primum respondet, quod non debent admitti, nisi causa exprimat propter praesumptionem non verisimilitudinis exceptionis, & in hoc deuiatur ab intellectu glo. quia non est superuacuum quod exprimat, imo utile & necessarium. Ad secundum respondet quod expressa causa, per quam appareat exceptio verisimilis & formalis, actor nihil replicat, & admittenda sunt probationes rei super spontanea renunciacione, aut actor replicat, & admittuntur probationes actoris, reiectis probationibus rei. Et si dicatur, actor fundat intentionem super negativa quod non sponte, ergo non debent admitti. Respondetur quod negativa est implicita & c. pro prima parte habens hoc expressum, quod ubi exceptio in facto non est verisimilis, non admittitur per iudicem

## ADDITIONES.

- b Interrogatus. Vide Bart. in l. i. in fi. ff. pro suo. in l. qui testis in fi. ff. de testi. pulchre in trac. de testi. col. 1. & 3. ubi sunt quadam quae percipiuntur sensu corporeo, tamen cum magno discursu intellectus, & tunc etiam non interrogatus debet reddere rationem dicti sui, quaedam sunt, quae percipiuntur sine magno discursu intellectus, & tunc non tenent assignare rationem, de quo late per Fely. in c. cum causam, de testi. Seb. Sap.
- c Expressione. No. tamen, quod si in dicto suo testis inferuit causam non tenet interrogatus causam exprimere, ita dicit Bal. in l. folam, col. 3. C. de testi. & subdit quod si postquam annexit causam, interrogatus respondeat inerte, ut puta dicat, quia scio. primum dictum iuratur, quod dictum dicit esse mirabile. d. Talis in l. ff. de of. procu. C. si uide etiam eundem do. Talis in l. cum hi. S. ut igitur, si de transact. ubi concludit quod si interrogatus de causa scientiae testis non respondeat, dictum annullatur.